

propius urbem a septimo miliario substructione rivorum passus sexcentos novem, opere arcuato passuum sex milia quadringentos nonaginta unum. hi sunt arcus altissimi, sublevati in quibusdam locis pedes centum novem.

<sup>5</sup> Tot aquarum tam multis necessariis molibus pyramidas videlicet otiosas compares aut cetera inertia sed fama celebrata opera Graecorum! <sup>16</sup>

Non alienum mihi visum est, longitudines + quoque <sup>17</sup> rivorum cuiusque ductus etiam per species operum completi. nam cum maxima huius officii pars in tutela eorum sit, scire praepositum oportet, quae maiora impedia exigant.<sup>\*\*\*</sup> nostra quidem sollicitudine non sufficit, singula oculis subiecisse, formas quoque ductuum facere curavimus, ex quibus adparet ubi valles quantae-<sup>15</sup> que, ubi flumina traicerentur, ubi montium lateribus specus adplicatae maiorem adsiduamque + petendi ac muniendi *ri*vi exigant curam. hinc illa contingit utilitas, ut rem statim veluti in conspectu habere possimus et deliberare tamquam adsistentes.

<sup>20</sup> Omnes aquae diversa in urbem libra perveniunt. inde <sup>18</sup> fluunt quaedam altioribus locis et quaedam erigi in eminentiora non possunt; nam et colles sensim propter frequentiam incendiorum excreverunt rudere. quinque sunt quarum altitudo in omnem partem urbis adtollitur,  
<sup>25</sup> sed ex his aliae maiori, aliae leviori pressura coguntur. altissimus est Anio novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Iulia, quartum Tepula, dehinc Marcia, quae capite etiam Claudiæ libram aequat. sed veteres humiliore derecta perduxerunt, sive nondum ad subtile ex-  
<sup>30</sup> plorata arte librandi, seu quia ex industria infra terram aquas mergebant, ne facile ab hostibus interciperentur, cum frequentia adhuc contra Italicos bella gererentur.

---

<sup>7</sup> ope C      <sup>8</sup> suppl. fere *<quantas>* quomque *deinde* per*<lustrare et oculis singulas>* species    <sup>11</sup> scid scyre C    <sup>12</sup> nostræ — sollicitudini — suffecit *Joc*    <sup>16</sup> petendi C (*tuendi Buech*)  
<sup>17</sup> rivi *Heinr ui* C    <sup>21</sup> fiunt C    <sup>22</sup> colles sensim *Buech* colless  
isint C    <sup>24</sup> quarum *Schul* duarū C    <sup>28</sup> equata C